

2

Q. D. T. O. M. B. V.

F O E T V M

EFFECTV RESPIRATIONIS  
NON CARERE

PRAESIDE

C. F. I A M P E R T

MED. DOCT.

P V B L I C E D E F E N D E T


DIE XXII. MART. M DCC LV.

BALTHASAR SIGISMUNDVS SCHOENAV.

HALBAVIENSIS LVSATVS.

HALAE AD SALAM

LITTERIS CVRTIANIS



VIRO  
ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**CAROLO LVDOLFO**  
LIBERO BARONI  
A DANKELMANN  
ET  
**PRANGIN**  
AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
BELL ET STATVS  
ADMINISTRO.  
SVMMI RERVM SACRARVM DICASTERII,  
ECCLESIARVM MARCHICARVM  
**PRAESIDI PRIMO.**  
ACADEMIARVM OMNIVM REGIARVM,  
NEC NON  
SCHOLARVM ET BIBLIOTHECAE  
CVRATORI SVPREMO ET DIRECTORI  
AERARII ECCLESIASTICI ET MONTIS PIETATIS  
DIRECTORI GRAVISSIMO.

GALLICI SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI  
P R A E S I D I ,  
ET  
CAVSARVM GALLICARVM  
GVBERNATORI GRAVISSIMO.  
HAEREDITARIO IN LODERSLEBEN  
OPHAVSEN ETC.

DOMINO AC MAECENATI SVO  
LONGE INDVLGENTISSIMO  
IN OBSERVANTISSIMI ANIMI  
TESSERAM,  
G V M V O T O  
OMNIGENAE PROSPERITATIS  
DISSERTATIONEM HANC  
D. D. D. D.  
PRAESES.



## I. N. I.



Haud parum inter se discrepare, esse & adp-  
rere, accurvior rerum naturalium disquisitio  
docet. Videntur corpora in se inuicem age-  
re; videntur superficies corporum politae esse  
sub contactu; creduntur quaedam naturae phoe-  
nomena aliis naturalibus phoenomenis esse contraria, quam-  
quam actu talia non sint. Inde vero hoc nobis, quia omni-  
um effectuum omnes circumstantias causasque cognitas omni-  
modo non habemus. Circumstantiae enim variant effectus  
eiusdem medicamenti, in se semper eosdem in eodem mor-  
bo, quia semper eadem vis & ratio manet. Idem morbus  
saeppe alia sub indole occurrit, ob determinationes acciden-  
tales variantes. Vita animalis non intercopta continuatur  
serie actionum vitalium, quarum incurruunt censum in scho-  
lis Medicis, Calor, pulsus, & respiratio, vel si cum recen-  
tioribus enunciare idem amas, sanguinis motus progressiuus,

A

motus

motus intestinus & respiratio, quibus nonnulli secretionem spirituum animalium non sine rationibus addunt. Creduntur ideo necessaria ad vitam, sublata quoniam harum una tantum, mox vita ipsa tollitur. Contrarium tamen salua vita in foetu, matris sinu adhuc inhabitanti, obseruamus, cui quippe respiratio deest. Oppositi hic ergo status. Respiratio ad vitam non necessaria, & post partum summe necessaria occurrit; testantibus id aqua vel laqueo suffocatis. Quomodo vero res concilianda? Laborarunt bucusque Medici circa hoc problema. Tota vero fallacia, sub decenti instituta distinctione rationali, prodit. Apparet enim tantum deesse in foetu, quia externa sensibilitas desunt eius signa, quoad effectus cum actu adsit. Medici vero, qua continuo circa res sensibiles versantes, tis assueri, actionem externam respirationis confundere cum effectu respirationis, qui est conditio vitae, non vero ipsa actio sensibilis externa. Adparet ergo tantum esse actionem vitalem, cum actu talis non sit, sed effectum dat, ad vitam necessarium. Distinguendum itaque hic inter respirationem ut actionem sensibilem & effectum eius ut conditionem vitae integratissimam. Posterior foetui competere debet, qua conditio sine qua non vitae. Prius vero salua vita abesse potest. Et sic contradictione ruet, quod foetus vivat, sine respiratione. Id, quod, & quomodo valeat, paucissimis sequentibus dabimus commentibus, nos nostrosque labores Lectori Benevolo de meliori commendantes.

## A

§. I.

## §. I.

**C**ontinuo edocemur, nos per hiatus narium vel oris simul, fluidum ambiens in pectus nostrum introducere. Dicitur haec mutatio nostri corporis, qua aer qua talis in nostros intrat pulmones rufusque exit, respiratio.

**SCHOL** Datur & alia inmissio & emissio aeris in nostrum corpus, nempe vna cum alimentis, sed ibi aer non solus qua talis, neque in cauum pectoris immittitur. Respiratio, si qua genus summum consideratur, species agnoscit, respirationem plantarum & insectorum quae pro varia structura longe alio sit modo, tuncque respiratio valet solum pro inmissione & emissione aeris qua talis, intra limites corporis structi.

## §. II.

Quia respiratio est mutatio, omnis autem corporum mutatio motu quodam fieri debet, erit et respiratio ope motus absoluenda. Motus sine posita vi libera non contingit. Quidquid autem vi libera efficitur, audit actio. Respiratio ergo omnino erit actio dicenda. Motus hic exponendus et actio est aeris ingressus in pectus, ergo motus aeris. Omnis actio supponit agens, ergo inquirendum quid hic sit agens, an dependeat ab aere, vel a corpore nostro, et si hoc, an sit spontanea vel non, ultimoque in casu an sit naturalis vel vitalis, an vero ab aere & corpore nostro simul producatur; hae quaestiones nobis primo iam loco exponendae sunt.

## §. III.

## §. III.

Vt responsiones debitas obtineamus, inquirendum nobis erit in essentiam aeris, & structuram istius partis corporis nostri, in quam abit aer admissus, mutationesque istius & circumstantias; inde enim patent rationes & vires agentes. Corpus nostrum quum sit machina, a structura determinata determinatipendebunt effectus.

## §. IV.

Aer est corpus fluidum sensibile, omnia circumdans, inuisibile, elasticum, naturaliter nostro corpore semper frigidius. Non descendamus iam in probationem, esse aerem his proprietatibus praeditum, multo minus esse fluidum quod in- & ex - spiramus actu aerem, ne physicam huc transcripsisse videamur; tuto, cum loco axiomatis ponere per vnaminem consensum queamus, esse inspiratum fluidum aerem, & habere aerem dictos characteres, vid. *Illustr. Hamberg. Physic. §. 275. seq.*

## §. V.

Si in aere quaerenda est ratio respirationis, probare debemus competere ei liberam vim pellentem 2) sub directione versus pulmones, 3) semper praesentem, 4) sufficientem Requisita haec aeris facile ex vi eius elastica deriuari queunt. Quatenus enim est elasticus, continuo conabitur se expandere resistentia ablata, tanta quidem vi, quanta est compressus, quae potissimum a pondere incumbentis aeris pendet. Quia vero

vero fluida pressa quaquaversus premendo tendunt, tendit & aer quaquaversus & premit, ergo & versus hiatus oris & narum. Continuat haec pressio ex pondere incumbens aeris perpetuo, quia semper grauis manet & incumbit, & si ob sustentationem cessare videatur, compensatur compressio ponderis ab elatere circumfusi aeris; tendentia itaque ex elatere perpetuo praesens est. An vero sufficiens sit, adeo facilis non est demonstrationis. Breuitatis autem studiosi, sic dabimus modum possibilem.

## §. VI.

Cum ab aequalibus causis sub iisdem circumstantiis aequales non possint non semper oriri effectus, erit & compressio aeris vbiuis aequa magna, quia idem vbiuis pondus aeris, aerem comprimens, ergo & elater ipsius vbiuis sibi aequalis, i. e. aderit aequilibrium in aere. Fluidi porro natura fert, ut partes, illata vi libera ad motum, ob cohaesionem inter se, parum tantum motui resistant, quae ad summum in fluidis visilibus, pondus quantitatis eiusdem fluidi piso aequalis non excedit. Si itaque ponis aequilibrium dictum elateris sublatum, maiori conatu quam est cohaesio, mox fiet motus secundum tendentiam vis liberae, sive quod idem, resistentiae imminutae. Potest vero hoc multis concipi modis, quorum pertinet, annihilationis impenetrabilis cuiusdam, vel ut distinctius sensus pateat, productio vacui spatii antea non praesentis, & ab aere nondum occupati, imminutus in loco quodam elater, imminuta densitas, cessans pressio ponderis, aut elater,

B

pon-

pondus, densitas, alicubi aucta, &c. Fiant haec quo-  
cunque velint gradu, semper dabunt aequilibrium sub-  
latum ergo motum aeris, pro vi libera concessa, ver-  
sus locum sub dictis circumstantiis positum. Si ergo  
probare valemus, vnum horum locum habere sub re-  
spiratione, patebit demum, in aere haerere rationem  
& vim, cur intret pectus.

## §. VII.

Vt hoc praestare queamus, opus erit structuram  
narium, laryngis, tracheae, pulmonum, & pectoris  
ipsius, quantum pro scopo fieri debet, exhibere. Ori-  
ficium externum oris & narium intus cum cauis com-  
municat, pulmonum nempe & ventriculi atque in-  
testinorum. Posteriora non repleri aere continuo ab-  
sorbo, loquuntur phoenomena & rationes: contra  
pulmones. Caua narium & oris ossibus formata du-  
ris impenetrabilibus, ab aere non comprimibilibus  
semper suam seruant figuram, structuram, cavitatem;  
producuntur ad rimam,  $\gamma\lambda\sigma\tau\tau\iota\sigma$  dictam, semper in statu  
naturali apertam, operculo tamen, ne peregrina in-  
tent, testam: abhinc larynx & trachea, qua partim  
cartilagineae continuant cauum, semper suam figuram,  
hinc cauum continuo apertum, seruantes. Terminan-  
tur demum per ramos bronchiales in vesiculos mem-  
branaceas, figuram (ergo cauum) non propria stru-  
ctura seruantes, sed nullo alio resistente, collabescen-  
tes. Ad bronchiorum ramos ergo semper cauum hiat  
apertum, in facie cum aere externo communicans.  
Quaque versus itaque quia tendit §. 5. & 6., intrabit ca-  
nalem

nalement apertum in se vacuum, & replebit illum, & si vis premens eius sufficeret, etiam vesiculas expanderet, repleret. Quod ultimum tamen non obseruatur a sola vi aeris fieri, alias mortui, syncope, apoplexia perculsi, infantes mortui nati, pulmones semper inflatos habent: quod falsum. Elater itaque eius, vt huic actioni insufficiens sit, sequitur. Expanduntur tamen alternatim hae vesiculae naturaliter, quia plus aeris intrat & exit, quam qui in datis, semper apertis, viis haerere potest: ergo vt adsit aliud, quod vel vim aeris prementem augeat, vel resistentiam membranularum collapsarum remoueat, oportet.

## §. VIII.

Vix datur, quod vim elasticam aeris contenti intra datum ductum augere valet, nisi ad calorem corporis nostri, semper maiorem eo, aeris externi circumfusi, confugere placeat, de quo, phoenomena certiores nos reddidere, eum augere elaterem aeris, expandendo in maius spatum partes, ad trigecuplum usque & ultra; hinc enim tendit aer maius occupare spatum, premet ergo magis versus vesiculas, illas paullum extendet, replebit; ast ibi versus potissimum actio fiet, vbi minima est resistentia, quae hic est sub directione versus nares, quia versus cellulas elater fibrarum membranacearum resistit. Aer ergo rarefactus ex pulmonibus potius abibit, quam quod cellulas extenderet. Neque vero solus elater auctus sufficit: & quia aliud vis ipsius augmentum non datur, ad alterum fugiendum nobis est modum, nempe resistentiae immunitationem. Quaeritur ergo primo iam loco, quae sit hic resistentia. Referri hoc merentur, ipsum robur vi-

B 2

tale

tale & naturale fibrarum cellulas constituentium 2) in inferioribus, pondus superpositarum cellularum deorsum prementium, 3) sanguinis, in vasis inter cellulas dispersis, praesentia, pondus. 4) Pondus sue pressio aeris, externae thoracis & abdominis superficie incumentis, aequalis pressioni internae. 5) Elater aeris inter pulmones & costas haerentis, 6) diaphragma inferius oblique haerens, naturaliter versus thoracem conuexum, hinc spatium eius imminuens, 7) laterales parietes pectoris solidiores ossi nempe, superficie pulmonum externae incumbentes, illasque comprimentes. Attendenti mox patebit, ultimam resistentiam omnium esse maximam, ossa cum sint omnium solidissima, actioni externae quam maxime resistentia, figuram suam seruantia immutabilem. Nunquam haec pectoris constricti figura a vi aeris prementis extrorsum posset dilatari, quia tota fere aeris interni pressio cedit ad aequilibrium pressioni aeris externae exhibendum: nisi ergo mechanismus hoc accedit, nunquam dilatatio fiet. Locum autem obtinere mechanismum quaesitum, docet structura: pectus cum confiteretur, posse spina dorsi, firma, vix mobili, nisi parum sensibilem flexionem ponere amas; lateraliter 24 costis, antice mediante sterno mobili, inter se connexis. Costae dictae duobus punctis, vertebris spine dorsi annexae haerent, ad articulationem, antice vero coalitae quidem, ast non plane ossae, sed mediante sat longa cartilagine cum sterno, reperiuntur, vt, cui continuitas sub motu obstaret, illud flexibilitate cartilaginis compensaretur. Spatium inter costas, fibris claudi-

tur

tur muscularibus, dupli gaudentibus directione; externum nempe stratum extremitate sua superiore propinquius spinae vertebrali haeret, inferiore magis iterum appropinquante: vice versa contra interius stratum se habet. Costae in se ob structuram & nexus cum vertebbris, antice a sterno mobili & cartilagine flexili, nimiam non accipientes resistentiam, (nisi cuius pro figura & situ & nexus conseruando opus erat,) vetes repraesentant duobus hypomochiis gaudentes, mediante chorda situs determinati, sub qua vis mouens applicata concipienda venit, mobiles, ita ut externum si agat stratum fibrarum, costae absolute necessario attolli deheant, contra si internum, costae descendant. Costae cum neque sint rectilineae, neque horizonti parallelae, non possunt non, dum attolluntur, anteriores versus sternum continuum dirigere, & simul parum attollere, ibi tamen maxime, vbi angulus costarum cum spina dorsi, qua linea perpendiculari ad horizontem, magis acutus est, quam vbi minus; inferior itaque sterni pars magis antrorsum, et sursum mouebitur. His factis, si diametri cauitatis thoracis explorantur, tum qui a spina vertebrali ad sterni punctum eleuatum extenditur, tum quo duo latera ipsa, sive costae allatae, distant, eos semper maiores reperies iis, qui capiuntur, pectore rufus demisso. Geometria autem docet, corporum caua, iisdem manentibus altitudinibus, variare in ratione basium, has vero erui, ductis in se diametris, ut tum quadratum, tum rectangulum, tum circulum proportionata obtineas, eadem iubet. Erit itaque capacitas thoracis in statu costarum & sterni eleuato maior, quam

B 3

in

in depresso, quia tunc parameter, hinc basis maior quam in posteriore casu; & hoc valet geometrice. Diaphragma vero si loco conuexitatis, planam assumet superficiem versus thoracem, inde etiam pectoris cauum insigniter augeretur, quod actu fieri videmus in animalibus viuis, quorum abdomina aperta; nec non intumescentia ventris imi, sub qualibet inspiratio-ne in statu naturali, itidem descensum diaphragmatis loquitur.

SCHOL. Probe scimus, multa nos omisisse tum anatomica tum geometrica tum mechanica in explicatione structurae & mechanismi; sed compendii ratio nobis est habenda, ne pro more solemni, prologus diffusior euadat ipsa tractatione. Plura scire cupidos ad illustris, & Viri in re Medica pariter ac Mathesi summi, Hambergeri opus aureum, Physiolog. Medic. ablegatos volumus.

### §. IX.

Cavitate thoracis aucta, interne spatium inductum est, ab aere vacuum, ergo locus, versus quem aer circumdans premit, nullam autem acquirit resistentiam; aut itaque aer replebit spatium illud inductum, aut non. Posterius impossibile per dicta §. 5. si vero penetrat, an transeat inter costas & pulmones, an vero in cellulas pulmonum tantum ipsas & has eosque extendat, donec spatium inductum omne sit expletum, quaeritur? Prius absonum est ponere salua continuitate pulmonum, & parietum pectoris, qui status per totam conseruatur vitam, alius ergo aeri prementi non datur locus, quam ipsae pulmonum vesiculae;

iae; sed hae collapsae resistunt, pro tono fibrarum,  
2) ob pondus superiorum, 3) ob sanguinem compri-  
mentem, 4) ob aerem intra pulmones & parietes tho-  
racis contentum. Tonus fibrarum parum resistit, sunt  
enim tenerrimae, facile expansioni cedentes, docente  
id leuissimo flatu in animalibus recenter maestatis adhuc  
calidis. Pondus incumbentium itidem exiguum est,  
superiores pulmonum lobuli cum quasi suspensi tene-  
antur, praefertim si inflari inchoant; hinc & hoc parum  
obstat: Insuper in se exiguum est, in relatione ad pres-  
sionem aeris. Elater aeris interni non obstat, is enim,  
dum pectus dilatatur, mox se expandit, hinc vis elastica  
decrescit, minor redditur, elatere externi aeris. Flui-  
dum autem sanguineum cellulas comprimens, maxi-  
mam daret resistantiam, si hoc omne ex suis esset remo-  
uendum vasis, quod vero opus non est: sufficiens e-  
nim datur spatium ad inflandas vesiculos, repletis quam-  
quam vasis materia ceracea adhuc calida, in cadaueri-  
bus. Omnes vero dictas has resistantias a vi aeris irru-  
entis premente facile superari posse, patet ex determi-  
natione ipsius vis, qua aer intra pulmones abire ni-  
titur. Fluidorum enim pressiones cum non sint aesti-  
mandae ex simplici eorum mole, aut simplici altitu-  
dine in diametrum columnae ducta, sed ex baseos ver-  
sus quam premunt superficie, in columnae altitudi-  
nem ducta, erit etiam pressio aeris versus pulmonum  
vesiculos aestimanda ex summa diametrorum omnium  
vesicularum pulmonalium, & altitudine aeris. Quia  
vero superficies omnium vesicularum pulmonalium  
exacte non constat, hoc vero certum sit, quo minus  
corpus

corpus eo maiorem semper, relativie ad molem, reddi superficiem, ponamus per hypothesin totam, vesicularum omnium, superficiem aequalem esse 10 pedibus quadraticis, (quod tuto concedi potest, cum tantum dimidium sit superficie C. H. totius, alii autem, pulmonum superficiem aequalem ponere ei, corporis totius, placet,) & formetur calculus, secundum experimenta häemisphaeriorum Gverikianorum, tuborumque Torricellianorum, docentia, aerem versus basin vnius pedis minimum semper plus 12 centenariis premere. Aer itaque vi, 120 centenarios superante, in cauum irruet pulmonum, quae vis longe maior resistentiis datis. Stat itaque theses veritas, aer propria sua vi sufficiente, spatium postquam exhibitum est ampliacione thoracis, intrat cauum pulmonum, & hic ingressus continuat, donec resistentia maior sit reddita, via penetrat, quod sit, si 1) vesiculae bronchiales eosque sunt repletæ, ut aeris elater in fibras sat iam expansas agere debeat, inque eorundem cohaesionem; 2) si aer inter pulmones & thoracis parietes haerens eosque sit compressus, ut eius elater cum externo irruente sit in aequilibrio. Haec actio corporis nostri & aeris coniunctim *inspiratio*, (specialius & *suctio*) audit.

### §. X.

Sub ipsa thoracis ampliatione, costae paululum magis a se inuicem remouentur, hinc fibrae intercostales internae extenduntur, secundum ergo leges motus fibrarum naturales, se contrahere rursus debent; quod cum sit, simul costas deorsum mouent, hinc cauum

uum thoracis coarctant. Abdomen porro tunc desidens, probat, diaphragma ob impenetrabilitatem sursum ferri, i. e. rursus conuexum reddi, vnde cauum thoracis similiter angustatur, costae itaque & diaphragma in aerem, inter pulmones & pleuram haerentem, agunt, illum magis comprimunt; antea vero iam erat eosque compressus, vt cum externo & eo qui in cellulis haeret, in acqulibrio erat: maiore ergo vi aget in aerem ingressum, pulmonum cellulas comprimet, aerem contentum expellet, per easdem vias, per quas ingressus erat. Ipsae costae, pulmones simul comprimentes, huc sua immediate faciunt. Aer ergo ingressus, iterum datis ex causis exit e vesiculis bronchiorum, qui status nobis *expiratio* seu *flatus* audit. Tota vero haec actio simul sumta in & expiratio, sub nomine *respirationis* venit.

## §. XI.

Reliquum nobis iam est, quo proprius scopo accedere possimus, exhibere, an prouti venditari solet, sit actio vitalis, *respiratio*, an naturalis, an animalis, an vero mixta. Dicitur vitalis actio, ea quae continet conditionem sine qua non, vitae. Absente ergo vel cessante tali, vita tolli debet. Respirationi competere talem caracterem docent suffocati, laqueo, aqua, materia purulenta, vel spasmus laryngis, vitae periculum ex respiratione intercepta, vt spasmis, doloribus &c. Dantur vero alii adhuc caracteres actioni vitali competentes, quos omnes de respiratione tutto concedere nequimus: quorsum spectant, quod voluntati

C

luntati

Iuntati animae non sint obnoxiae actiones reliquae vitales, neque quoad angumentum, neque imminutio nem. Quis enim pulsum celeriorem, tardiorem, calorem, secretionesque, maiores pro lubitu reddere pot est. Valemus autem respirationem i. e. actionem huc usque a nobis exhibitam, tum accelerare tum retardare pro lubitu. Si in nostra positum esset facultate hoc, pro lubitu sine adhibenda violentia externa, vitam intercipere valeremus, quod absurdum est. Erit itaque aut actionibus vitalibus non adnumeranda, aut istud quod nobis derelictum est, non est conditio illa ad vitam absolute necessaria; ergo ut adsit sub hac actione caracter quidam connexus vitalis sequitur, quem vt eruamus, compositam hanc actionem vte rius disquiremus.

## §. XII.

Actio haec est admodum composita, tum enim aer premens, tum dilatatio & coarctatio pectoris, tum expansio & collapsus pulmonum, tum motus dia phragmatis, viscerum & muscularum abdominalium, possunt esse particulariter actio vitalis: tum vero nulla harum actionum, sed alius quidam nondum exhibitus effectus. Dilatatio pectoris alterna, potest per sat sensibile tempus salua vita deesse, continuante interim leni respiratione ope diaphragmatis. Diaphragma & abdomen possunt quiescere, salua vita. Aer potest quidem paululum retineri, vt & detineri, minime ve ro sine incommodis hoc diutius continuari potest: ergo in renouatione aeris forsan latebit conditio vitae pro-

propria. Probant hanc consequentiam multa phoenomena, praesentibus enim motu pectoris & abdominis, absente vero aere, vt in vacuo Gverikiano, vita animalium tollitur. Quia vero semel facta pectoris repletio aere, non sufficit ad vitam conseruandam, sed renouatio requiritur, patet solum aerem qua tallem, non esse rationem vitae, sed in eo haerebit, in quo differt renouatus aer, ab iam admisso & rursus emissio. Ut pateat hoc quid sit, ad propriam attendendum est experientiam, vbi edocemur, immisum aerem esse inuisibilem, siccum & semper naturaliter nostro corpore frigidorem, contra emissum, esse humidorem, calidorem & tempore hyemali visibilem, i. e. nebulosum quasi. Visibilitas potissimum ab immixtis visibilibus pendet particulis, quae hic sunt humiditatem dantes. Humidae vero & igneae partes immixtae necessario intra pulmones aeri immisceri debent, (a potiori enim fieri solet denominatio, quamquam non negem, idem etiam sub via accidere posse): forsitan ergo harum partium euacuatio est effectus iste vitalis. Si hoc, rite se habebit consequentia: ergo aer omnibus caeteroquin proprietatibus donatus, ast igneis & humidis ad summum repletus, quamquam praesens & absorptus, quia tales partes amplius assumere & euacuare nequit, vitam tollere debet. Egregie rem confirmat experientia; si enim animalia viua locis tali aere repletis exponuntur, breui suffocantur, obeunt, teste Boerhaui in chemia theoretica P. 2. de igne Exper. 20. Coroll. 16. pag. m. 275. Ultimus itaque iam datus effectus erit conditio vitalitatis, quam re-

C 2 spir-

spirationi tribuimus, nempe euacuatio ignearum & humidarum, ergo ut hae in nostro corpore abundant, sequitur.

### §. XIII.

Ex ipsa pulmonum solida substantia dictae partes abire nequeunt, alias cito omnes essent euacuatae, tuncque respiratione vacare possemus, quia vero semper quedam abeunt, huc ut deferantur aliorum oportet; fit hoc ope fluidi sanguinei, quod omne per pulmones transit, cum reliquis partibus C. H. tantum pars sanguinis tribuatur. Exponendum ergo iam venit, quis sit modus transitus ignearum & humidarum, & secundo, quis huius transitus effectus?

### §. XIV.

Anatomia de structura pulmonum docet, constare vesiculis, compositis tenuissimis laminis membranaceis, quibus vascula summe exigua ramosissima supertenfa sunt: sanguis ergo per haec transiens vascula, in suas minimas debet esse solutus partes, hinc superficies eius admodum augetur. Ob tenuissimas membranas intermedias, sanguis quasi ipsum continet aerem ingredientem, nondum calidum & humidum. Prouti in reliquis corporis superficiebus vasa ultima ostiis suis extrorsum hiant, ita & eadem valebit structura in pulmonibus, quamquam oculis percipi nequeat, effectus & similitudo tamen eam sat probant. Positis his facile patebit modus transitus. Aer qua fluidum nostro corpore semper frigidius intrat pulmones,

nes, offendit ibi sanguinem nostrum calidum; hic vero summe calidum, ob totam iam absolutam circulationem: in eo ergo igneae liberae & abundantes haerent. Dantur itaque hic conditiones transitus partium fluidi ex corpore in aliud, cui tanta quantitas partium eiusdem fluidi nondum immixta est: vid. Illustr. Hambergeri Physicam diuinam §. 244. & 245. i. e. transibunt igneae ex massa sanguinea calidiore in aerem frigidorem praesentem, & quidem in ratione punctorum contactus, quae hic fere infinita, ob superficiem adeo auctam, ergo ex omnibus minimis vasculis vbiuis simul exhibit ignis, sanguis vero igneis orbatus, refrigeratur inde: continuat is transitus, donec aer pro grauitate specifica tot habet igneas, quot recipere vallet, i. e. donec aequilibrium sit restitutum. Fluidum subtilissimum, vasa lateralia in vesiculos aperta penetrans, vna cum igneis extra vasa abibit, accidente pressione fluidi, cordisque impetu. Fluidum aqueum vna cum igneis in aerem abiens & sustentatum, sub nomine vaporum venit, & si concentratur, aerem humidum nebulosum visibilem reddit, hinc constitutio-  
tia halitus expirati diiudicanda sunt.

## §. XV.

Igneis ex M<sup>S</sup>a remotis, cessabunt quae ab iis pendent. Ex physicis chymicis & medicis itaque conuocandi effectus ignis in fluida. Quia est corpus, spatium occupat; M<sup>S</sup>a ergo ad paulo minus erit redacta spatium, parum tamen haec mutatio sensibilis est. Ignis qua summe specificie leuis, aqueis fluidis adhae-

C 3

rens,

rens, partes eorum circumdat, contactum immedia-  
tum tollit, hinc cohaesionem minorem reddit, vnde  
fluiditas conseruatur. Remotis ergo his, partes se con-  
tingunt, cohaerent, arctius inter se adiplicantur, hinc  
interstitia minora redduntur, i. e. totum fluidum mi-  
nus occupat spatium, quam antea; partes enim minores,  
solidiores, magis cohaerentes, vnde simul inter-  
stitia talia, redduntur. Ignis porro qualitas singularis  
habetur, quod additus aeri, illum ad insigne expandat  
spatium, ob vim elasticam auētam. In sanguine ergo  
cum detur aer copiose, erit etiam ob copiam igne-  
rum admodum expansus. Abientibus vero illis cessa-  
bit expansio, aer ad pristinum, i. e. longe minus redi-  
getur spatium, hinc & partes MSae antea ob aerem  
distentum remota, proximius accedunt, vnde denuo  
nouus contactus, cohaesio, coarctatio fluidi in minus  
spatium. Vapores antea sub fluidorum forma MSae  
inhaerentes, ibi necessario ob impenetrabilitatem spa-  
tium occuparunt, quod postea non amplius replent,  
ergo MSa in tantum etiam minus spatium occupat.  
Omnes ergo effectus respirationis sunt, reduc̄tio MSae  
ad minus spatium, hinc condensata & refrigerata  
erit, postquam e pulmonibus redit ad cor. Positis  
vero his conditionibus, simul ponitur grauitas speci-  
fica maior, hinc maior possibilis receptio impetus cor-  
dis, hinc melior atque vegetior circulus, maior resolu-  
tionibus resistentia, ne mox nimis dissoluatur vel  
plane destruatur.

## §. XVI.

## §. XVI.

MSa ad minus spatium redacta, per angustiores longe vias e pulmonibus redire valet neque tam capacem requirit cordis ventriculum posteriorem, quam illum anteriorem, ex quo egressa erat. Id quod & disquisitio anatomico - mathematica docet, venas nempe pulmonales admodum esse angustiores arteria ipsa, (quod contra regulam communem in toto reliquo corpore, vbi alias semper venae longe capaciores aut saltim numerosiores reperiuntur), & ventriculum cordis posteriorem  $\exists$ i minus capere anteriore ventriculo. Nisi ergo sanguis in pulmonibus in tantum condensaretur, vt omnis qui vno ictu ex anteriore prodiit, vna iterum sinistrum intrare queat, semper pars sanguinis remaneret, hinc breui tempore pulmones sanguine esse repleti, vnde circulatio cessaret, hinc vita. Reductio ergo sanguinis per pulmones transeuntis ad minus spatium est vera conditio illa, sine qua vita persistere nequit. Minime igitur ipsa respiratio, qua talis est actio vitalis dicenda, sed effectus eius tantum rationibus vitae annumeranda est.

## §. XVII.

Differentia capacitatis ventriculorum cordis, aequalis est circiter quantitati  $\exists$ i sanguinis (\*). In tantum ergo sanguis sub suo circuitu breuiore per pulmones est condensandus. Hinc potest deduci & determinari, in quantum sanguis intra datum tempus per circu-

(\*) Vid. Nicolai Differt. de directione vasorum p. 52. Winslow Anatom. Tom. IV. p. m. 95. Edit. Amstel. Hamberg. Physiol. §. 81.

circulationem rarefiat, & rursus condensetur. Si nempe medium assumamus numerum circulationum intra vnum minutum primum esse aequalem 80. si porro ponis, ventriculum dextrum capere 3ij sinistrum vero 3i 3ij erit quantitas proiecti sanguinis a dextro intra vnum minutum primum aequalis 3 160. Eodem vero tempore sinistrum intrare tantum valent 3 120. remanerent ergo in pulmonibus 3 40. sanguinis quolibet minuto primo, ergo intra spatium vnius horae 3 2400 = 150. itb i. e. plus quam tota MSa. In tantum ergo MSa per pulmones transiens debet condensari. Hinc itaque sat patet summa condensationis & refrigerii necessitas ad vitae integritatem.

### §. XVIII.

Supra dixi experientiam docere; vbi deest aer, ibi cadit respiratio; quia fluidum frigidius vbiuis exacte se adiplicans ad vesicularum pulmonalium superficiem, deficit, hinc vero minime valet consequentia, ergo vbi deest aer, ibi cadit condensatio MSae. Argumentatur enim hic, a remota causa, ad remouendum effectum, quod tuto fieri non licet, secundum logices praecepta. Vnius enim rei plures possunt esse causae, hinc ab vna negata ad negandum effectum n. v. c. sub aqua enim non datur aer qua talis, ad respirationem aptus, sat collectus, attamen virinatores per tempus sub aqua durant, salua vita; quod inde, quia aqua etiam frigidior est nostro corpore; hinc in superficie totius corporis multas absorbet igneas, quae alias per pulmones transire debuissent, hinc simul circulum lentio-

lentiorem reddunt, ergo minor rarefactio, lentior transitus per pulmones. Sie enim manet effectus vitalis saluus, quamquam modus obtinendi solemnis cadat.

## §. XIX.

De foetu in vtero materno an respiret, a primis medicinae aeuis ad nostra vsque tempora multa disputata sunt. Nonnulli docuere foetum actu respirare, hanc que thesin cum ridiculo fiendi modo connexere, qui ex monito medico prudenti sat patet, quod adhuc inter obstetrices vetulasque circumagitur, mortuae nempe grauidae subito os & genitalia esse aperienda, & ita seruanda, vt foetui vita seruaretur, ne suffocaretur, viis vtrinque clausis. Saniores Medici semper eam negare. Neque possibilis idea fingi potest, quomodo foetus aquis circumfusus vndeaque, membranis propriis & vtero inclusus, liberum respirare posset aerem, & si respiret, aerem acciperet iam a matre nimis calidum redditum, qui suo fungi non potest officio. Ad hanc ergo quaestionem, an foetus vtero inclusus actu aerem inspiret, facile respondeatur, quod nempe absonta esset affirmatio.

## §. XX.

Longe vero aliter res se habet, si datam quaestionem in sequentem similem resoluis: an foetui omnes actiones vitales competant? Secundum communem loquendi usum respondetur negando, deest enim respiratio. Non potest autem non quin ex hac responsione absurdia fluant. Deficiente enim actione vitali quadam, deerit nexus actionum vitalium absolute necessarius, ergo conditio vitae. Foetus ergo vtero inclusus, viuus dici nequit. Quod est contra usum loquendi receptum.

D

Vno

Vno enim ore Icti fatentur, foetum si mense viuum esse, & medici prudentiores vitae initium mox post conceptionem ponunt. Vitam vero sine actionibus vitalibus ponere, est contradictorium. Foetus ergo, si vivit, necessario requisita ad vitam necessaria omnia habere debet, ergo si respiratio aeris est actio vitalis, etiam hanc exercere debet, quod iterum absurdum est. Omnes confusiones & contradictiones hae inde ortae, quia Medici hucusque non accuratam sat posuere distinctionem inter respirationem, qua actionem nostri corporis aerisque mechanicam, & effectum respirationis huius, nempe reductionem sanguinis ad minus & decens spatium, prior actio cum plane non ad vitam sustentandam referri mereatur, sed modum fiendi tantum exhibeat: effectus vero ille est proprius, qui ad vitam sustentandam necessario requiritur. Huius vero effectus, i. e. conditionis vitae, qua tertiae actionis vitalis praesentiam actualem in foetu probare iam allaborabimus, & sic exhibita explicatione nodus ille euaneat gordius, cur foetus, viuus esse possit, absente respiratione. Effectus enim eius alio compensatur modo.

## §. XXI.

Foetus humani dissectio varia nobis detexit, quibus quoad structuram partium, ab adultis differt, quorsum pertinent numerus vasorum & viscerum, nec non figura & structura viscerum, vasorum, ossium. Ultima differunt densitate, nexu, epiphysibus & figura. Vasa ab adultis recedentia, sequentia potissimum animaduertuntur. Duo venosi facci cordis distinguuntur septo membranaceo, simplici quoad numerum, composito quoad structuram, cuius medium substantiam transgreditur foramen

ramen ouale dictum: inter arteriam pulmonalem & aortam, infra bifurcationem prioris arcum posterioris & cor, prior in anteriore superficie perforatur, haec in anteire paulo laterali; intercedit canalis breuior transverso pollice aequalis, dictus arteriosus Botalli ab inventore, capacitatis sat notabilis, eoque maioris, quo propinquior foetus origini. Vmbilicus, adultis clausus, patet in foetu; transmittit nimirum tria vasa vnum ligamentum, vel si maius, 4 vasa: prius maximum vena nuncupatur vmbilicalis vna communiter, rarius duplicata, a placenta deriuata, per vmbilicum abdomen intrans, ibi a peritonei processu obuoluta versus hepatis ascendit sinum, venamque ingreditur portarum, inde nouus suboritur canalis breuis, a dicto sinu hepatis ad venam cauam proxime tendens. Duae arteriae, etiam vmbilicales dictae, originem trahunt ex arteriis foetus hypogastricis, ab hinc ad latera vesicae ascendunt ad annulum usque vmbilicalem, & amplexa vena vmbilicali placentae ramos suos implantant. Una cum tribus dictis, 4 vas, in homine potius ligamentum, ascendit a vesicae fundo demissum, & in alantoidem tunicam terminatum. Viscerum differentiae sequentes notandae veniunt: hepar proportionalem excedit magnitudinem, sanguineque summe scatens reperitur. Glandula thymus & renes succenturiati, longe maiores in foetu proportionate, quam in adultis, imo prior in his plane evanescit. Plures dantur aliae differentiae, huc non spectantes.

### §. XXII.

Foeti sanguis porrigitur maternus, per placenta colatus, mediante vena vmbilicali, vase sat capaci,

D 2

&

& vi minima lentissime aduectus, quamquam cor adul-  
tum matris sit vis pellens: omnis enim fere impetus eius  
euanuit sub transitu per vasa vteri & placentae minima,  
in his porro magnam iam sanguinis molem propellen-  
dam offendit, & in foetu adulto iterum sub duplum mi-  
nimum prioris molis, hinc admodum lente adfluit, ergo  
parum tantum omni adfertur interuallo, ne sanguinis  
abundantia, vasa nimis turgida, rupturae proxima, reddat.  
Primum latus iste motus est momentum rarefactionem  
imminuens, hinc condensationem minus necessariam  
reddens.

## § XXIII.

Sanguis per venam vmbilicalem foetui aduectus ve-  
nae portae infunditur, & ex parte mox per canalem ve-  
nosum venae traditur cauae, ne praeter necessitatem ni-  
mis resolueretur, turgefieret. Miscetur ibi sanguini e to-  
to foetus corpore redeunti, qui ergo per circulationem  
absolutam magis rarefactus redditus est, quam affluens  
ex placenta. In foetu enim longe minora peragravit va-  
sa, hinc in longe minores est diuīsus partes, cohaesio er-  
go longe minor, aeri se expandere conanti debilior lon-  
ge resistentia, igneae plures liberatae actiuae, hinc aer eo  
magis elasticus expansus. Partem ergo ignearum libera-  
tarum absorbet, hinc partes sanguinis condensat, aerem  
minus expansum reddit. Parum quidem hoc proficere,  
ipse confiteor, confert tamen aliquid.

## §. XXIV.

Venarum cavarum sanguis in statu naturali semper  
faccum auriculam & ventriculum cordis anteriores, om-  
nis intrare potest, quod & in foetu fit. Quae tamen, ob  
spatium fluidi maius, abundat pars, loco quod conden-  
sati in pulmonibus deberet, mox per dictum ouale for-  
men

men in saccum venosum abit posteriorem, sic ergo incommoda circulationis praecaueri poterant. Residua pars, ventriculum intrans, arteriae traditur pulmonali, abhinc ad pulmones progredi deberet, condensarique ibi ad 3ij circiter; alias eadem quantitas proiecta, sinistrum intrare nequit ventriculum. Iam ergo probandum, dari medium compensationis, i. e. 3ij minimum minus ad ventriculum posteriorem accedere, id quod per arteriosum Botalli canalem exhibitum §. 19 efficitur, quia dimidiam habet capacitatem vel saltim in profectionibus subtriplo spatii capit, ac duae maiores arteriac ipsae. Si ergo ponis e corde foetus dextro, sub systole 3j simul proici, arteria pulmonalis hac quantitate extensa, aperiet canalem arteriosum semper hiantem & minimum subtriplo huius quantitatis nisi dimidium ei tradet, i. e. 3ij ad 5. Reliqua pars proiecti sanguinis ventriculum intrat posteriorem: ergo erit in tantum uti debebat immunita, & sine incommodis recipi poterit; id quod tantum nobis probandum erat. Si enim dexter foetus ventriculus capit 3j capiet sinister ad 5v, quae vix ad eum deferuntur.

## §. XXV.

Dubium vero hic suboriri potest haud leue, dum hucusque tantum impedimenta circulationis remota esse exhibuimus, circa cor, i. e. modum condensationis dedimus particulariter, minime vero adhuc modum, quo tota sanguinis massa ipsa quoad spatium minor reddi queat; quod tamen aequa necessarium est, alias si sanguis semper maius occuparet spatium, sine eo quod vel massa ipsa, vel saltim spatium sufficienter imminueretur, brevi tempore vasa foetus nimis repleta ad rupturae reducerentur statum, quod quidem omni studio & arte praecauen-

cauendum erat. Omnino enim sanguis per circulationem in foetu rarefit, quamquam non eousque, ac in adultis, quod inde sat patet, quia foetui suppeditatus sanguis maternus, antea iam sit in minimas resolutus partes, quod ob virium embrio-nis defectum, vasorumque foetus minimum diametrum fieri debebat, perficiturque in vasis uteri & placentaem minimis, quae peragrat nisi summe resolutus nequit. Resolutionis ideae pos-tio est negotio fortioris cohaesioneis partium, a qua extensio maiorumque compressio aeris in interstitiis haerentis pendet. Si ergo aer sanguini foetus inhaerens, antequam foetum ingre-ditur, iam pro magna sui parte vinculis est liberatus, hinc pro elatere esse-ntiale iam expansus, parum ex post adhuc in foetu poterit expandi. Omnis enim vis & actio corporum est li-mitata, non ad quemuis gradum extendi potest, sed datur v-biuis gradus ultimus, ergo spatium sanguinis parum augere poterit, quia iam ad notabile spatum fuit rarefactus. Conden-sationis ergo tantum exiguae opus est; & moles sanguinis foetui inhaerentis parum erit per circulationem in foetu ipso expansa. Extensio ergo vasorum haud adeo magna. Interim tamen non potest non, quin adhuc aliqualiter expandatur, quod si continuat semper, tandem tamen abundantem red-det molem, noxiosque dabit effectus.

## §. XXVI.

Hi ut praecaeantur, mili quidem videntur esse ordi-natae 2 arteriae umbilicales, quarum diameter simul sumus diametrum venae umbilicalis simplicis, si non excedit, saltim semper aequalis reperitur; capacitates itaque erunt inter se minima. aequales. Secundum leges hydrostaticas hinc fluit, quod aequalis per utrasque transeat vias quantitas fluidi; tan-tum itaque reflueret, quantum adiutum fuit. Nisi autem alia hoc accederet circumstantia, hinc nullus condensationis similiis effectus induceretur. Ast cum experientia & sana ratio doceant, quantitates fluidorum per canales eiusdem capaci-tatis transientium esse in ratione virium pellentium, i.e. Ce-leritatum, & vis pellens sanguinem per arterias, longe maior

sit

sit vi, qua mouetur sanguis per venas, praesertim per venam vmbilicalem, facile patet per arterias vmbilicales eodem tempore plus sanguinis transire quam per venam. Qui vero transit per arterias dictas sanguis, ex foetu est refluiens, ergo eodem tempore plus sanguinis ex foetu refluit, quam per venam aduehitur. Necessario hinc quantitas sanguinis quoad molem decrescere deberet, imo intra breue sat tempus omnis ex toto abiret foetu, nisi qui adfluit, intra foetum mole augeretur, tum accedentibus nouis particulis sanguineis, tum expansione in maius spatium. Prius vix ponit potest, missa iam disquisitione de vnu liquoris amnii; ergo vt posterius sit oportet.

## §. XXVII.

Omnia in nostro corpore non modo sunt omnimode determinata, sed & ita comparata vt determinata conditio det determinatum talem effectum, qui determinata denuo redditur alterius causa. Tuto ergo ponere possumus: Celeritatem sanguinis arteriarum vmbilicalium tanto esse determinate maiorem, ea in vena vmbilicali, quanta requiriunt pro determinata praeferente rarefactione, vt nempe tanto hac euacuetur maior quantitas, in quantum maius est extensa spatium, tota foetus MSa.

## §. XXVIII.

Posset quis opponere, ruit data theoria si non semper ad aequalem gradum rarefactio procedit, & modo maior modo minor est; hoc enim impossibile, vna cum gradu expansionis crescere & decrescere diametrum arteriarum, vt tum plus tum minus transmittere queant. Regero vero, raro tale quid in foetu contingere, nisi summis diaetae vitiis a matre commisis. & si quando fiunt, opus talis conditionis non esse; ipse enim rarefactionis gradus celeriorem & lentiorem inducit & inuoluit transitum proportionalem. Maiorem nempe si ponis eam, necessario cor vna cum reliquis magis erunt expansiones, i.e. maior fieri actio fluidi in fibras vasorum, hinc maior reactio, fortior vel celerior contractio, motus sanguinis celerior, impetus cordis maior, ergo & motus per arterias vmbilicales celerior, tanto quidem gradu, in quantum ipsa

MSa


MSa ad maius spatum est rarefacta, quia gradus expansionis est causa ipsa motus determinate aucti. Non poterit itaque MSa quoad spatum abundare nimis in foetu. Eadem est ratio si forsan minus rareficeret solito, ob viscedinem humorum maiorem, vel defectum adfluentis sub decenti quantitate, si e. g. mater lypothimiis vel syncope corripitur. Vasa enim tunc erunt collapsa. lentior contractio & motus humorum, hinc lentior transitus per arterias vmbilicales.

## §. XXIX.

Hinc ratio simul defumenda cur non inuerso fit modo circulus per funiculum vmbilicalem, i. e. cur non arteria vmbilicalis sit vas aduchens, contra vena reuehens, vti alias in corpore esse solet. Nimis enim sanguinis sic facile posset aduehi, qui rarefactus enecaret foetum, quia tanta vi non reueheretur per venam. Ideo & duplex data videtur arteria vmbilicalis, ne vna casu laesa, vel compressa, foetus a turgescientia sanguinis mox laederetur & 2) ne moles reuehendi sanguinis per vnam arteriam nimis euadat magna, hinc cordi foetus maior daretur resistentia & motus retardaretur inde. Hinc & ratio patet cur rami arteriarum vmbilicalium in placenta longe copiosiores, imo duplo plures sint radicibus venaie vmbilicalis: quod opus non fuisset, si aequalem tantum reueherent sanguinis quantitatem quoad spatum; aequalis enim tunc ramorum numerus sufficeret, sic vero rebus, prout exhibutum est, stantibus, plures rami & maius desiderantur spatum.

## §. XXX.

Effectus itaque respirationis, i. e. reduc<sup>t</sup>io sanguinis ad minus spatum in tantum, quantum fuit per circulum rarefactus & expansus, omnino cedit & in foetum, quamquam modulus fiendi longe diuersus sit, & per arterias potissimum obtineatur vmbilicales loco pulmorum. Est itaque secundum omnes 3 vel 4 actiones vitales vivus dicendus. Sic ergo responsionem exhibere iam valemus: *foetui respiratio qua actio pectoris & aeris est deneganda, ast quatenus denotat conditio nem vitalitatis, etenim foetui tribuenda est.*



Hilg. Med. 7055 1755-56

ULB Halle  
002 830 698

3



Sk

Ritual



B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. T. O. M. B. V.

F O E T V M

# EFFECTV RESPIRATIONIS NON CARERE

PRAESIDE

C. F. I A M P E R T

MED. DOCT.

P V B L I C E D E F E N D E T

DIE XXII. MART. M DCC LV.

BALTHASAR SIGISMUNDVS SCHOENAV.

HALBAVIENSIS LVSATVS.

HALAE AD SALAM  
LITTERIS CVRTIANIS